

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christvs Acerbissimos Crvciatvs Mortemqve
Ignominiosam Svbitvrvs Ex V.T. In N. Sistitvr**

Officina Ahliana Officina Ahliana

Cobvrgi, MDCCLXXI

III. Casimiriani Acad. Director Et Reliqvi Professores Civibvs Svis S. P. DD.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9348

ILL. CASIMIRIANI ACAD. DIRECTOR
ET RELIQVI PROFESSORES CIVIBVS SVIS

S. P. DD

~~CHRISTVS~~

§ VI.

Prae caeteris autem huc pertinent *typi*, qui in V. T. *mortem Christi* figurarunt, et ad eam in N. applicantur, qui, accuratius considerati, simul veram eius vim modumque, quo illi oblata est, praeclare ostendunt. Quibus in *typis praecipue victimae*, quae magnam veteris religionis partem constituebant, sunt numerandae. Hae, cum mactarentur, non in genere tantum caedem Christo inferendam adumbrarunt, sed, per caerimonias Dei iussu, adhiberi solitas, declararunt etiam, *a) non suae ipsius, sed alienae culpaee causa, mortem obituum esse Seruatorem nostrum, eaque nostra peccata expiaturum.* Certum enim est in sacrificiis prisca foederis aliena peccata puniri existimatum fuisse, postquam, per manuum impositionem culpaee confessionem, in ea fuerant translata. *h)* Hinc Paullus vt nostram vicem Christum patiente

do

b) Vid. praeter alios Ill. MICHAEL. *typische Theologie* p. 58. 71.



do et moriendo sustinuisse doceat, toties formulis utitur a sacrificiis vel petitis, vel ad ea alludentibus, ut Eph. V, 2. *Christus se ipsum tradidit pro nobis* προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὠσμὴν εὐωδίας. Ebr. IX, 28. *Christus semel προσενεχθεὶς*, tanquam sacrificium pro peccato oblatum est, *ad multorum peccata tollenda*. Ebr. X, 12. Αὐτὸς μίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσενέγκας θυσίαν, coll. v. 14. Omisissis locis aliis, non dubitamus huc referre Rom. VIII, 3. ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτῷ υἱὸν πέμψας — περὶ ἁμαρτίας, quo in nomine subintelligendum est θυσίαν, *misit filium tanquam sacrificium propitiatorium*. i) An vero 2 Cor. V, 21. huc quoque pertineat, verbaque: ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, reddenda sint: *sacrificium piaculare* (ut hebr. תְּשׁוּבָה) *pro nobis constituit*, dubium videri potest, cum, ut alibi, ita hic etiam abstractum pro concreto, ἁμαρτία pro ἁμαρτωλὸς locum habere queat. Sed, ut propositum prosequamur, sacrificia, praesertim quod in eorum genus, significabant etiam, β) *extra urbem Hier. s. Christum iri trucidatum*. Scilicet sacrificia omnium praecipua, quae vel pro totius populi, vel pro Pontificis Max. peccatis offerebantur, ex lege Mosaica diuinitus lata, extra Israëlitarum castra cremabantur, sanguine tamen eorum in

B 2. sancto
 i) Id formula περὶ ἁμαρτίας aperte significat Hebr. X, 6. Et LXX, hebr. דָּוָן et תְּשׁוּבָה ita etiam vertunt Leu. VI, 23. Num. VIII, 8.



sancto oblato et sparso, quod eo transfert Ap. Paulus, ut Christo extra portas moriendum fuerit, Ebr. XIII, 12. Διὸ καὶ ὁ ἰησῆς, ἵνα ἀγιάσῃ διὰ τῆς ἰδίας αἱματος τὸν λαόν, ἔξω τῆς πόλης ἔπαθε. Facile esset plures inter sacrificia V. T. et Christi, quod obtulit, sacrificium, inuenire similitudines, quae passim etiam a theologiae typicae scriptoribus afferuntur, sed eae quidem non sunt huius loci.

§. VII.

In crucem autem actum, adeoque modo ignominiosissimo, vitam Christum finitum esse, cum effatis minime obscuris significatum olim fuit, tum typo etiam serpentis aenei, quem Iesus ipse sibi applicat Ioh. III, 14. καθὼς μωσῆς ὑψώσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, ὅπως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Historiam ipsam Numer. XXI, 8. latius descriptam hic non repetemus, id vnum submonentes, typi et antitypi similitudinem non nimis et ad omnes partes extendendam esse, sed momentum rei in suspensione et salutis ab eo, quod suspensum esset, expectatione ponitur. Quare audiendi ii non sunt, qui comparatione inter Christum et serpentem subtiliter nimis instituta, negant hunc eius typum esse posse, quin potius diabolum cum Seruatore cruci quasi suffigendum ab eoque vincendum per

per aeneum serpentem figurari, arbitrantur k). Quae opinio aperte est contra perspicuam symboli huius interpretationem, a Chrillo ipso, loco laudato, institutam.

§. VIII.

Vbi Christus in crucem sublatus fuit, duo simul latrones idem supplicium, patris facinoribus debitum, sustinuerunt, altero ad eius dextram, altero ad sinistram cruci suffixo. Quae cum Marcus narrat, ista addit c. XV, 28. *καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφή ἢ λέγεται καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη.* Quae ipsa sunt hebraica Ies. LIII, 12. *וְהָיָה עִם פְּשָׁעִים נִמְנָה,* cum maleficis numeratus est. Admittunt quidem verba haec per se latiore interpretationem, ut iis generatim indicetur, *Messiam pro malefico habitum, nec aliter tractatum iri*, quo sensu Seruator ipse ea de se usurpare videtur Luc. XXII, 37. Ceterum nihil vetat, quominus κατ' ἀκρίθειαν accepta, de ea ipsa re, quam Euangelista innuit, intelligantur, de supplicii scilicet societate, quam cum latronibus coire coactus fuit. Quin melius sic cum vatis ora-

B 3

tione

k) Quam hypothesein VITRINGA praecipue in *Observ. S. Lib. II. c. X.* et post eum b. HUTHIUS in *Progr. Serpens exaltatus non contritoris, sed conterendi imago.* Erlang. 1758. exornare studuerunt. Vtriusque, posterioris imprimis, rationes examinavit cl. NOELTING in *Diss. de serpente aeneo Seruatoris cruci affixi typo,* Ien, 1759.

XIV

tione contexta conuenire videntur; praecedit enim: *propterea quod vita per mortem se euacuauit*; vnde probabile fit, quae proxime sequuntur: *et fontibus annumeratus est*, ad illud ipsum, quo mortis supplicio affectus est, tempus spectare.

IX.

Iesu e ligno pendente, accidit, vt *vestimenta eius milites sorte distribuerent*; quod idem in vaticinio fuisse, Matthaeus c. XXVII, 35. et Ioh. c. XIX, 24. indicant, in medium prolatis verbis Psalmi XXII, 19. *Διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμὸν μου ἔβαλον κλῆρον.* In quibus tam clara sunt omnia et euidencia, vt actum agere iure videremur, si apte et in loco laudatum esse effatum istud, ex Psalmo, qui totus est Messianus, desumptum, ostendere vellemus. Scilicet euentus hic, per vaticinium de eo proprie dictum, confirmatur.

X.

Addimus duo adhuc V. T. oracula, quae Iohannes, vltima Iesu fata describens, in eo vere impleta fuisse dicit. Alterum eo pertinet, vt *crurifragium* in corpore Christi non esse adhibitum ostendat, quod ad mortem in iis, qui crucis supplicio afficiebantur, accelerandam alias vsurpari consueuerat. Destinato Dei consilio hoc accidisse Euangelista docet c. XIX, 36.

Εγένε-



αγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφή πληρωθῇ· ὅθεν οὐ συντριβήσεται αὐτό. De agno Paschali hoc Deus primum edixerat Exod. XII, 46. coll. Num. IX, 12. qua lege cauebatur, ne, qui agno paschali vescebatur, eius os aliquod confringeret. Iam si, quomodo de Christo haec valeant, quaeratur, in promptu responso est, huius typum agnum istum fuisse, vt ex Ioh. I, 29. et I Cor. V, 7, patet; vt hinc Iohannes a typo ad antitypum argumentum duxisse intelligatur.

XI.

Alter locus per eam occasionem a Iohanne c. XIX, 37. affertur, vbi militem aliquem *latus Christi* vita iam defuncti *lancea perfodisse* narrauerat. Hic impletum esse, inquit, quod Scriptura dicat: ὕψονται εἰς ὃν ἐξέκέντησαν. Verba hebraica apud Zachariam c. XII, 10. ista sunt: והביטו אלי את אשר דקרו, *respicient ad me, quem confoderunt.* 1). Quae Euangelista secundum verum literalem sensum, non per accommodationem aliquam, aut argumentationem, ad eam rem, de qua ipsi sermo est, transfert. Loquitur enim apud vatem Iehoua,

et

1) Hebraica accurate expressit Iohannes, relicta LXX. versione, qui: ἐπιβλέψονται πρὸς με ἄνδ' ἃν καταρχήσαντο, *respicient ad me pro eo, quod insultarunt.* Error facilis erat, ob literarum similitudinem, legentibus דקרו pro דקרו.



et quidem ille, qui *spiritum gratiae* effusus erat, per eumque effecturus, ut, qui neci eum ante dedissent, per milites excruciatum et confossum, Iudaei, poenitentia ducti eum respiciant tandem et fide recipiant. Qui oraculi sensus nemini erroris opinione non capto nunc obscurus esse potest, licet ante rei complementum multum omnino obscuritatis habuerit necesse est.

* * * * *

Hic terminus esto commentationis nostrae. Restat ut orationem indicamus Iuuenis ornatissimi, ingenio non minus, quam moribus exculti,

FRID. GOTTLOB BREITHAUPTI,

Graefenthalo-Thuringi,

quam, musis nostris vltimum vale dicturus, de *commodis, quae literarum studia reip. afferunt*, patrio idiomate, hodie post sacra vespertina, est habiturus. Quam toties iam experti sumus, in audiendis ciuibus nostris publice dicentibus, Maecenatum liberalitatem animique promptitudinem, eam neque huic oratori nostro defuturam speramus; de vestro autem, Casimiriani lectissimi, in commilitonem studio, non est, quod dubitemus. P. P. Dom. Miseric. Domini, A. C. clo Io cclxxi.

E I N I S.

